PROBLEMA RHETORICUM HEROESNE VATIBUS, AN HEROIBUS VATES NOMINIS...

Luigi D'Anna, Valenti Gonzaga

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. GENESIO FERNANDEZ DE CASTRO, &c.

Lemensium Comiti Neapolitanæ Classis Architalasso.

FELIC.

INveni profectò, Genesi Comes Excellentissime, quid Tibi Te dignum offerrem, gymnasticas nimirùm has lucubrationes, quæ sivè ex Problematis argumento spectentur, quod Te adumbrat, sivè ex argumentis carminum, quæ tuorum Majorum aliquos (quis possit omnes?) ac Te exprimunt, dignæ sanè sunt, quas Tua nō modò non despiciat Humanitas, verùm etiam excelsa excipiat, foveatque Dignitas. quamquàm in hoc minimè mihi gloriari fas est, quemadmodum iis, qui præclarum aliquod offerunt munus; siquidem, etsi præclarissimum est, id tamen omne est Tuum, Tibique bona fide redditum. Verùm illa mihi est, quæ me malè habet, religio, ne Tibi ac majoribus tuis injuriam irrogaverim, dum nullius nominis Pöëta illorum præclarè gesta conscribo: Habent enim hoc ma-

gna, atq; illustria, ut facilè humili ac malè tornato carmine obsolescant, ac sint, ut ajebat Horatius: Indigno non cõmittenda Pöëtæ. at quantum ex hoc mihi Tua Majestas irascitur, tantùm Tua, quæ Majestatẽ vincit, non parcit modò, sed adblanditur Humanitas, quæ profectò tanta est, ut charus omnibus qui Te norunt, ad totius humani generis delicias natus videare. Equidem fateor, Princeps Excellentissime, quo die in hac nostri Collegii Aula Mariæ Josephæ Austriacæ Genethliacon mihi recitandum erat, ubi primùm renunciatum est, Te jam adventasse, expallui, atque animo concidi: Tua me scilicet mentis, animique Celsitudo deterrebat. Sed vix deindè ad dicendum accessi, cum animadverti ipsos Aulæ parietes ex tua præsentia gestire, atque ipsa atria sibi, ac nobis cæpisse majora videri. Vix Te conspexi, cum tuos scintillare oculos vidi, vultuque ad omnem humanitatem composito, dissimulare Majestatem. Atque is est, mecum tacitus dixi, Hispanus ille Apollo, qui teneram adhuc Musam, & à lacte recentem aspectu tàm benigno intuetur, trepidantique adblandiens animos facit. noveram quippe Te pöëtam in paucis eximium, noveram non Martialem modò tuæ domi lauream jàm diù adolescere, sed etiã Apollinarem. Quæ quidem laus si in cæteris vel è vulgo summa, in Principe penè divina est. Tua igitur Humanitas, Tuus in Pöësim Amor me nunc impulit ad scribendum, Musasque Collegii hujus indigenas exciit, ut mihi tubam, ac citharam properarent: immò verò Tu ipse, Musis, atque ipso mihi major Apolline, Pöëticum hunc furorem inspirasti: quare quæ tot nominibus Tua sunt, Princeps Excellentissime, eo vultu excipe, quo omnium animos ad Tui Amorem rapis: Atque, ut Heroum maximè est, pöëtas fovere, & eorumdem pöëmatum suscipere

pa-

patrocinium, sic oro etiam atque etiam ut mihi Te præbeas Mecænatem. Hoc me jubet sperare Tuus ille Animus verè regius, regio par sanguini, ac generi. Illius enim familiæ Caput existis, in qua nihil unquàm natũ mediocre, in qua tot probati quot geniti, in qua tandem nihil omninò eorum deest, quæ ad summam faciunt dignitatem. Nàm & cum amplissimis familiis sanguinis cognatione innexa est, & in exteras dissitasque gentes gentilitium intulit splendorem, & ab honestissimis, splendidissimisque domibus ad connubia expetita est Castria Domus, & à Regibus ducitur, Regesque ac Cæsares peperit. Non tuis laudibus servio, Princeps, sed Naturæ muneribus: Vivit, vivetque ævo longiùs claritudine sua, claritudine stirpis, ac sobolis Ferdinandus Vermundi Legionensium Regis Filius, qui in Monforte splendido Galæciæ oppido Comitum Lemensium domum, multis regnaturam seculis, multis daturam jura gentibus domum, primus ipse constituit: neque unquam delebit oblivio ex memoria Posterorum Nunnii Fernandi nomen, qui acceptam à parentibus opum vim, imperiique amplitudinem, magna copiarum accessione, majestatisque incremento Posteris tradidit: qui præter Comitum Lemensium dominatum, inter primos Castellæ Comites principem authoritatis, ac potentiæ locum obtinuit. Hinc splendidissima illa connubia, quibus vester sanguis per regias familias diductus, Magnatum, ac Procerum domos insignivit. Magnatum, ac Procerum inquam? immò verò etiam Regum. Nàm ex geminis Nunnii Fernandi Castellæ, ac Lemensium Comitis filiis alteram sibi duxit uxorem Legionensium Rex Garsias, alteram Consalvus Nunnius Nunnii Rasuræ filius, qui faustissimis Rei Christianæ auspiciis Consalvum Fernandum ex

illo

illo conjugio suscepit: Consalvum illum, quem Mauri Domitorem, Assertorem experta est Christiana Religio: regum Socerum, Parentem regum, nulli veterum Heroum imparem, plerisque majorem: quem ità suimet Cives charum habuerunt, ut abolitum Comitis nomen, & cum Judicis nomine, post diram Comitum Castellæ internecionem, commutatum, popularium studio illi sponte delatum primus omnium assumpserit. Quod si cætera cognationis vestræ lumina percensere vocaret, occurreret mihi Petrus Alfonsi XI. Castellæ regis Nepos, cui Isabella Ferdinandi Ruizii Lemensium Comitis filia desponsa est; occurreret Sancii Regis filia, quæ Ferdinando Ruizio nupsit; illa mihi Helena Lopez occurreret, quæ Alvaro Castrio superstes, injuriam se facere nobilissimo Conjugi existimavit, si cum altero ab rege in matrimonium collocaretur, itàque cum Sanctio Lusitano rege collocata est; illa etiam Agnes Ferdinandi Castrii Filia, quæ Petro Lusitanorum regi nuptum data est: sed ante omnes mihi occurreret Dionysius Brachaitani Ducis filius, Joannis I. Lusitanorum regis abnepos, qui sibi Beatricem Lemensium Comitem thalamo; sociam adjunxit. Ille inquam Dionysius à quo Tu, Princeps Excellentissime, virili prole transmissam originem trahis. Quo authore, quo traduce Anglorum etiam, & Gallorum Regibus Tua Domus sanguine jungitur, quem Dionysio Lusitani Reges, Lusitanis Regibus Joannes Dux Lancastrensis infudit: ut ignorem utrum magis admirer, authorẽ ne generis, qui talem genuit sobolẽ, an sobolem ipsam, quæ ità sua se è stirpe attollit, ut generis vincat authorem? Jam verò quis progenitos vestra ab Domo Duces, Principes, Imperatores enumeret? quot extitere Reges, & Cæsares ex una illa Eleonora Petri Fernandi Lemensium Comitis

Pronepte, Ferdinando Justo Aragoniæ Regi, Joannis Castellæ Regis filio desponsa? An non ex illa stirpe Reges Aragoniæ, Lusitaniæ, Castellæ? an non ex illa stirpe Hispaniarum Reges Philippi? an non tandèm ex illa stirpe Christiani Apices Imperii, Maximiliani, Caroli, Ferdinandi, Rodulphi, Mathiæ? Sed quid ego hìc tuæ familiæ ornamenta persequar longiùs, quasi obscura ea sint? Vidit, videtque Neapolis, Sicilia, Navarra, Lusitania, Castella, Germania illustriora totius penè Europæ diademata Tuo ab Sãguine meliori in lumine collocata. Missa igitur facio omnia, nàm & ipsis Epistolæ prohibeor angustiis. Intereà dum Te à tot tantisque Magnatibus, ac Regibus progenitum videmus, speramus brevi fore, ut Te Magnates, ac Reges gignentem videamus: & quemadmodum tuos Majores non exæquas modo, sed antëis virtutibus; ità etiam, ut propagatione sobolis, aut anteeas, aut saltèm exæques. Tandèm unum illud Te etiam atque etiam rogo, Princeps Excellentissime, ut audaciæ meæ, quòd tàm parvus tàm grandia sim conatus, ignoscas. Hoc mihi Tua spondet Humanitas, hoc susceptum Societatis nostræ nunquam interiturum Patrocinium, quod semper novo aliquo, atque insigni benevolentiæ testimonio non confirmas modò, sed auges.

E. V.

Humillimus, atque omni obsequio addictissimus Servus
Aloysius de Anna.

NEmo Vestrum est quem lateat, Proceres nobilitatè æquè, atque eruditione clarissimi, quanto mortales omnes desiderio rapiamur ad gloriam. Hoc nostris animis penitissimè est insitum, hoc ad ardua quæque capessenda vi quadam, atque impetu impellimur. Ubi conquirendæ famæ spes affulget, pericula adimus, ac reliqua omnia nihil pensi habentes, ipsi etiam, modò gloriosa sit, occurrimus morti. Enimverò quid tot tantosque viros ob Remp. aut labore, aut etiam ferro sublatos cogitasse arbitramur? eodem ne ut tumulo nomen suum, quo corpus, contegeretur? Nemo unquam sine magna expectatione gloriæ, ac spe immortalitatis, se se Patriæ devovens, lacessivit pericula, mortemque sustinuit. Licuit esse otioso Scævolæ illi, licuit Pompejo, licuit, ne & vetera, & externa persequar, multis hujus fortunatissimæ Patriæ Parentibus, Majoribus nostris: sed nescio quomodo hominum insidet mētibus sperata hæc famæ diuturnitas, atque immortalitas nominis, eaque in magnis ingeniis, magnisque animis tùm altissimè insidet, tùm facillimè eminet, & apparet. Qua quidem sublata, quis insaniret adeò, ut & summos labores subiret, & aperta vitæ discrimina? Hanc tamen segetem ubertimam gloriæ gemino veluti in campo potissimùm metimus, Pöetico nimirum, ac Martiali: utrobique enim laurea succrescit, quæ hujus gloriæ coronamentum est, aut hostium perfusa sanguine, aut liquidis Musarum fontibus irrigata. Quæ enim Heröes faciunt digna immortalitate facinora, Vatum maximè sunt celebranda carminibus, ut

immortalitati consecrentur. Hinc profectò magna semper extitit Vates inter, & Heröës societas, atque communio: & quantum hi præstant dum scribenda faciunt, tantumdem & illi dum legenda conscribunt, utrique æternitati velificantes. Quamquàm verò Heröës inter, ac Vates, ut dixi, ea societas intersit, illud tamen hodierna die disputandum est, Academici, quod vobis paucis ab hinc diebus Problema proposui: HERÖESNE VATIBUS, an HEROIBUS VATES Nominis claritudinem debeant magis? Jucunda omninò vobis accidet hæc quæstio, Proceres; Vestra enim hic res agitur. Sed Te potissimum illa respicit, Genesi Lemensium Comes Excellentissime, quem & Heröëm suspicimus & Pöëtam. Tibi hoc quodcumque est, laboris, atque operis instituitur, & sacratur, nam & tuum est. Ex quo enim in hanc Aulam, dissimulata Majestate, pedem intulisti, ut Mariæ Josephæ Austriacæ Genethliaco, quod recitabatur, auditor interesses; incredibile dictu est, quantâ alacritate totam hanc Academiam Tuâ præsentia affeceris. Novum tunc Pöëtarum animis œstrum immissum est; qui memores Majorum Tuorum, quorum magnificentiâ in hac florentissimâ Urbe celeberrimum à fundamentis Liceum positum est, domesticam hanc Tibi laudem esse putarunt, ut aut Sapientiæ ædes, aut hominum animos ad Sapientiam excitares. Quod si Magnus ille Alexander ad Apellis officinam itare consueverat suæ imaginis, quæ ille pingeret, exempla inspecturus; opportunus hic ades, dum Pöësis nostra, quæ Pictoriæ Artis plurimùm habet, Tuos depingit Majores. Etsi enim nobis Te ipsum effingere non est integrum, cum id Tua verecundia non sinat, satis tamen, velis

nolis,

nolis, exprimimus dum Tuorum Majorum ducimus lineamenta, siquidem in illorum imaginibus abundè cognosceris. Quid quod callido quodam artificio ipsum Problema Te adumbrat, qui & Heros existis, & Vates? Accipe intereà qualecumque hoc nostri obsequii argumentum, ac fine, ut quæ Germanico Ovidius cecinit, accommodem Tibi.

Non potes officium Vatis contemnere Vates:
Judicio pretium res habet ista tuo.
Quod nisi Te Nomen tantùm ad majora vocasset,
Gloria Pieridum summa futurus eras.
Sed dare materiam nobis, quàm carmina, mavis:
Nec tamen ex toto deserere illa potes.
Nàm modò magna geris, numeris modò verba coërces,
Quodque aliis opus est, hoc Tibi ludus erit.
Utque nec ad citharam, nec ad arcum segnis Apollo est;
Sed venit ad sacras nervus uterque manus;
Sic Tibi nec Docti, nec desunt Principis Artes:
Mixta sed est animo cum Jove Musa Tuo.

PRIOR DISSERTATIO.

Quam mihi demandasti Provinciam volens lubensque suscepi: sic enim & iratas Musas conciliare, & Apollinem ipsum, cujus ingratiis, nescio quo fato, laurum hactenus momordi: Apollinem, inquam, ipsum mihi quàm diligentissimè satagam demereri. Quid enim ad illius aucupandam gratiam opportunius, quàm tueri: Vatibus, ac proindè Apollini in primis, & Musis Heröës debere nominis claritudinem, eos

 sci-

ſcilicet, quibus univerſus terrarum Orbis maximè debet? & quidem (quoniam mihi rem paucis conficere, ut paucis philoſophari Neoptolemus apud Ennium ſibi neceſſe eſſe ajebat) an non ad Heroum nomina æternitati conſecranda Pöëtæ conferrent ſatis, ſi Eorumdem laudum buccinatores exiſterent illius tubæ præſidio, quæ non modò gloriam jam propè ſeneſcentem ab oblivione vindicat, verùm etiam præteritorum hominum reticentiâ jam ſepultam revocat ad memoriam Poſterorum? Neminem veſtrum reor, Auditores, hoſpitem adeò, ac peregrinum in Parnaſſo verſari, ut in tam pervagato rei pöëticæ ſermone ignoret, Mercurio virgam ab Apolline traditam, qua, ut ait Divinus Maro

-- animas ille evocat Orco -- Pallentes

Somnium, & fabulæ. Exploratiſſimum verò eſt, ac citrà fabulam id Pöëtarum præſtare tubam, id Pöëtas poſſe: ut meritò illam caduceo, hos ipſi Mercurio anteponas. Nunquàm magnus ille Alexander aut cuipiam caducei ope ab inferis erepto invidit, aut Mercurium, qui ſuos manes evocaret, optavit. Achilli invidit, cujus nomen ne idem obrueret tumulus, qui corpus contexerat, Homeri tuba perfecit: & cum in Sigæo ad ejus tumulum aſtitiſſet, hæc ab illo verba cum lacrymis expreſſit invidia.

Fælix Æacide, cui tali contigit ore
Gentibus oſtendi: crevit Tua carmine Virtus.

Homerum optavit, qui ſua præclarè geſta carminibus exornaret, exiſtimans, quemadmodum unus ipſe futurus fuiſſet par tanto Pöëtæ argumentum, Homerum unum tanto argumento parem Pöëtam fuiſſe futurum. Noſtis

opti-

optimè eumdem Alexandrum unius Apellis penicillo voluisse depingi: At quoniam, ut Horatius in Arte.

Ut Pictura Pöësis erit

Multò maluisset sui animi lineamenta ab Homero duci, quàm corporis ab Apelle. Siquidèm pinxit hic, pinxisset ille; sed alterius pictura vetustate obsoletior periit, alterius vigeret nitidior; tabularum quippè colores evanidi oblitterantur, styli Pöëtici characteres diutissimè perennant. Felices illi, quos bonus Pöëta depinxit. Nulla nunc Apellis extant monumenta carie vetustatis interlita, atque corrupta: Homeri verò pöëmata recentia magis in dies splendescunt magis, quibus nulla caries, nullus situs, nulla diuturnitas obest. Hinc profectò sapientissimi Danorum Proceres, cum Frontoni III. Regi, suis nimirùm deliciis, atque amoribus, maximo luctu, atque honorificentissimè parentassent, decreverunt, præter Mausolea, Pyramides, ac Simulacra, quæ infinito propè sumptu erexerant, ut Hiarnus Pöëta sui ævi præstantissimus ejus laudes carmine celebraret. Illa enim monumenta arbitrabantur tempestate, vi, ac vetustate interitura: carmina verò, & seculorum quoddam augurium futurorum in se habère, & semina immortalitatis, augerique illum isto potissimùm honore voluerunt, cui nullus honor tribui non debitus poterat, gratosque se ostendere in ejus morte cohonestanda, cui, cum omnem deberent gratiam, nullam aliam referre jam valebant. Deindè cum maximos honores habendos Hiarno ipsi putarent, à quo Frontonis laudes præclaris carminibus possent ad omnem Posterorum memoriam commendari, regnum illi contulerunt; rati, Frontonem ipsum, cum maximè post se vel-

le

le regnare, per quem ipse, vel post mortem, vitam sibi auspicaretur sempiternam. Ex quo profectò intelligitis, quantum in collato ab eximio Vate beneficio sit meritum, cum ex Danorum Procerum S. C. tantum illi responderit præmium. Et sanè quod Hectorem, quod Æneam, quod Achillem, quod Agamemnonem novimus, nonne Pöëtarum est munus? quod horum Heroum bellicæ laudes post tot secula adhuc vigeant, quod omnium gentium literis, atque linguis celebrentur, nonne iidem Pöëtis acceptum referant oportet? Vixere (quis audeat in controversiam revocare?) vixere, inquam, fortes ante Agamemnona multi: verùm obscuri, atque ignoti sempiterna oblivione premũtur: & illi ipsi, quos paulò ante nominavi, jacerent in tenebris, nisi Pöëtarum lumen accessisset: incognita quippè virtus parùm ab despectâ differt ignaviâ, & quidquid latet, minimè luceat necesse est. Hinc nulla res carior viris Principibus, quàm carmina Pöëtarum: Hæc enim laudum celebrationes absolvunt, hæc prospiciunt ne pereat fama factorum, ævum siquidem patiuntur: nàm quæ vetustas conterit ferrum, ac marmora, carminibus pretium, nitoremque conciliat. Tandèm, ne prolixiori, quàm par est, orationis ambitu in re tàm perspicua utar, unum illud addam, quod acutè, argutèque Ovidius cecinit, Deos nimirùm ipsos, quos Antiquitas coluit, divinitatem suam maximè vatibus debere.

Dii quoque carminibus (si fas est dicere) fiunt:
Tantaque Majestas ore Canentis eget.

Et dubitatis adhuc fateri, Nominis immortalitatem Vatibus Heröës debere, cum illis vel divinitatem debere Deos

sen-

sentserit Ovidius? Ego quidèm sic existimo, omnem gloriam, commendationemque, qua summi Heröës toto terrarum Orbè celebrantur, non illius tubæ sonitu, quam Famæ tribuunt Vates, sed Pöëticæ tubæ concentu excitari: nec aliam esse Famæ vocem, quàm Pöëtarum.

POSTERIOR DISSERTATIO.

Quamquàm Apollinis, Musarumque amicitiam colere mea etiam multùm intersit, non idcircò tamen, quod in hanc rem sensio, dicere prætermittam: & pro Heroibus differens, tot Heroùm, quos hìc gestiens intueor, facilè inibo gratiam, quod interest longè plurimùm. Ajo igitur, Heroibus Vates nominis claritudinem, immortalitatemque debere. Nàm, cum ipsi, qui Heroum præclara facinora carminibus comprehendunt, ab reliquo Pöëtarum choro, qui passìm aut ludicra, aut humilia canunt, jure secerni soleant, atque Heroici Vates magnificâ nomenclatione appellari, quis neget, eos vel ab hac splendidissima magni nominis umbra clarescere magis, atque illustrari? Accedit etiam splendor rerum, ac magnitudo gestorū, quæ & ipsa ad Pöëticam eloquentiam plurimùm confert: nàm multùm interest, de Verisne Adventu, de Passeris, & Psittaci morte, deque Culice canendum habeas, an de Trojano bello, de Æneæ adventu in Italiam, deque Hjerosolyma ab Turcarum jugo liberatâ; quæ omnia, ut magna sunt, ità ingentem Pöëtis materiam subministrarit: & ipsa argumenti nobilitas & Pöëtæ ingenium acuit, & numeris ipsis splendorem, majestatemque conciliat. Crescit enim (ut optimè

Quin-

Quintilianus) cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram, & illustrem orationem efficere potest, nisi qui causam parem invenit. Ingenii siquidem lumina, ut aurum & gemmæ in argilla ac luto, refugiunt, ac dedignantur in obscura materia splendescere. Non, opinor, Homerum Prælia Ranarum, sed Ilias: nec Virgilium Cyris, Ætna, aut Pastoritia Carmina, sed Æneis illustrat: Achilles, Hector, Diomedes Homero; Maroni verò Æneas, Pallas, Mezentius, Turnus æternitatem famæ, immortalitatemque donavit: quæ cum posita sit in oculis, atque ore legentium, necesse est ut ipsa argumenti magnitudo ad legendum invitet. Præclara quippè Heroum exempla cupit animus noscere, negligit nugas. Quare levia hujusmodi, ac ludicra pöëmata aut nunquàm, aut perquàm rarò, nec sine fastido, leguntur. Heroica verò audiuntur, leguntur, ediscuntur, & inhærescunt penitus in mentibus. Scimus Arcesilam adeò Homeri studiosum fuisse, ut semper ante somnũ aliquid Homericum legeret, mane verò cum surgeret, dicere solitum, se ad Amasium pergere. Scimus Magnum illum Alexandrum tot præliorum curis distractum totam Homeri Iliada, & magnam Odysseæ partem perdidicisse: & nemo unus nostrum est, qui divinæ Æneidos particulam aliquam memoriâ non teneat. Culicem quis legit unquam? quis in promptu habeat Cyrim? Athenienses legem tulerunt, ut quintò quoque anno in Panathenæis Homeri carmina publicè canerentur: ità enim cogitabant, leges præcipere quidem quid faciendum, fugiendumque sit, sed non docere: At Pöëtas qui, vitam hominum imitantes, res fortiter, præclarèque gestas copiosè exponerent, easque pro-

pe-

pemodum constituerent antè oculos, longè aptiores esse ad persuadendum: Quem morem secuti Lacedæmonii, à Pöëticis studiis cæteroqui maximè abhorrentes, decreverunt, ut, quoties acie conflicturus esset exercitus, convocarentur milites in regium tabernaculum, ibique Tyrtæi carminibus ad spernendam pro patria vitam vehementissimè incitarentur. Quid putandum? tantine à summis Heroibus, ab sapientissimis Rebusp. fierent Vates, si levia tantùm canerent, ac vulgaria? Tyrtæum, puto, Lacedæmonii, Ennium Romani, Rudium illum hominem, Civitate donassent, atque in sepulchro Scipionium constituissent, si felium, ac murium pugnam, aut quid huic simile, ac geminum decantassent. Ità profectò. Quasi verò ipse Ennius hoc non animadverterit, maximos nimirùm honores habitos sibi, habendosque semper majores inposterùm, quod Romanorum Heroum gesta suis celebrasset carminibus; quarè hanc veluti mercedem gloriæ flagitans ab iis, quorum patres affecerat gloriâ, cecinit.

Aspicite, ò Cives, senis Ennii imaginis formam:
Hic vestrum panxit maxima facta ducum.

Hinc suam defleri mortem nolebat prudentissimus Vates: neque enim premi humo, sed tolli, non mortuum se arbitrabatur, sed vivum per omnium ora volitare.

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? volito vivus per ora virûm.

Quam ergo gloriæ diuturnitatem, æternitatemque famæ divino veluti afflatus spiritu sibi Ennius præsagiebat, quòd Romanorum Ducum maxima facta panxisset, quis neget, magno esse argumento, illam ipsam nominis claritudinem,

 quam

quam confidenter ſperant, & confidentiùs ſibi pollicentur Vates, Heroibus omninò debere? optavit, fateor, Homerum Alexander, ut ſummus Vatum ſua bella deſcriberet. At quantò vehementiùs optavit Orpheus Alexandrum, ut ſummus Imperatorum ſuæ citharæ argumentum extitiſſet? Pugnabat in Aſia Alexander (Plutarchum appellet fides) cùm Orphei Signum cupreſſinum apud Libethram copioſo ſudore diffluere nunciatum eſt. Quo prodigio, quid aliud nobis indicatum arbitremur, quam inclyti Herois acri, ac vehementi quâdam animi incitatione exarſiſſe quodammodo Simularum illud, ac voluiſſe teſtari, multùm quidẽ laboris, ac ſudoris ſuſcepturũ libenter Orpheum fuiſſe, ſi viveret, ut caneret Alexandrũ. Profectò ſi cũ Sygæo Libethram amicum Muſis fontem, cum Alexandri lacrymis ex Homeri deſiderio, cupreſſini hujus Orphei ſudorẽ ex ejuſdem Alexandri deſiderio componas, neſcio quid majus in meam rem mirari licet. Atque hìc tandèm finem dicendi facio, nam mihi cauſa perorandа non eſt; cum jam illam ex omnium vultu mihi, immò verò Heroibus adjudicatã ſenſiam.

D. FERNANDUS RUIZ DE CASTRO

Secutus Partes Petri cognomento Crudelis Regis Caſtellæ adversùs Henricum fratrem; interfecto Rege ab Henrico, in Britanniam ſponte ſua Exul ſeceſſit.

Fernandi erga Petrum Fides commendatur.

ODE.

Qualis, procellas temnere pertinax,
Pugnat protervis obvia fluctibus,

Nim-

Nimbosque, & insanas frementis
Sustinet Oceani ruinas
Aut Adrianæ litore Doridos,
Aut propter oram Carpathii sinus;
Immota spernit sævientem
Dura Silex Aquilonis iram:
Hispana Virtus cedere nescia
Luctatur imperterrita, & impetus,
Nisusque fortunæ ruentis
Excipit, haud facilis domari:
Seù Mars minaci prælia suscitet
Cruentus hastâ, sive per oppida
Impunè debacchata ovantes
Falce metat Libitina turmas.
Invicta testor pectora Castrii,
Vultusque Fernandi indociles metu
Pallere: fraterno cadentem
Hic Dominum aspiciens sub ictu
Servavit Umbris, & Cineri fidem, &
Immota bellis robora jactitans,
Minasque, clademque, & dolosas
Indomiti superavit Artes
Victoris. Illum non Populi furor,
Non Regis atrox vultus, & effero
Fortuna dimovit tumultu,
Docta suos iterare lusus.
Fertur, Britannos dùm petit, & lares
Exul paternos deserit, oscula
Spreviffe gnatorum, & pudicæ
Conjugis, indecoremque luctum.

I, quò trophæis nobile ſternitur
Iter per undas. I, comitem Fides
Se junget extorri, fugaces
Nec metuet ſociare greſſus
Quòcumque tendas: jam Thameſis Tibi
Aſſurget undarum agmine ditior,
Arceſque Londini ſuperbo
Excipient profugum triumpho.
Illude fatis. hic patriam quoque
Sortiris exul: nec deerit Tagus,
Nec Regis Hiſpani renidens
Aula Caledoniis in oris.
Thebana poſthàc ne mihi Tydeum
Fortuna jactet, qui fidei memor,
Dextræque præceſſit cruentam
Exulis heù Polynicis urnam.
Regi ſuperſtes Caſtriadæ ſuo
Virtus at omnes contudit impetus
Fati, reluctantemque vinci
Geſtiit oppoſuiſſe dextram
Letho. ſed exul ſplendidus exterâ
Tellure tandèm ſi cecidit, pyræ
Hunc Fama victorem perenni
Pergit ovans celebrare plauſu.

RODERICUS CARDINALIS DE CASTRO
Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Philippi II. Hiſpaniarum Regis in Britannica Expeditione Comes, Collegii Montisfortis Soc. Jeſu Fundator.

Ejuſdem Eminentiſſimi Principis Pietas commendatur.

O D E.

INſula Caſtriadum deſit ne Romula faſtis,
Heſperiæ decus addita laudi,
Te Tua purpureo Virtus, Roderice, Senatu,
Et latiâ dignata curuli eſt.
Namque licet poſſes, Proavorum exempla ſequutus,
Victrices decerpere palmas,
Dùm te ſanguineis Rhenus jam decolor undis
In certamina ſæva vocaret,
Aut Padus exundans bello: melioribus actus
Auguriis, Te Pacis ad Artes
Finxiſti, lauro gaudens præponere olivam.
Ipſa ſuis, dùm luminis auras
Aſpiceres, Pietas naſcentem excepit in ulnis,
Et molli cunabula pompâ
Compoſuit, blandis immulgens ubera labris.
Hinc magno Tibi Numine pectus
Fæcundum tumet, hinc Erebo vis apta domando:
Hinc ſacrâ dum claſſe Britannos
Oceano invectus peteret Rex Auſtrius, alti
Quò Sociam ſceptrique torique

Du-

Duceret, ac delapſa ſolo ſacra templa pararet
Romuleo ſuſtollere ritu,
Te Sibi delegit Comitem, Roderice. Philippo,
Atque utinam mors invida (viſum
Sic ſuperis!) certos non præripuiſſet honores:
Quo Tameſis, Te Vindice, cultu
Nunc peteret maria, aut verſis quas impia fatis
Non flerent modò Tartara clades?
Pulſa Caledoniis ceſſiſſet finibus exul
Jam dudùm Lutheris erinnys:
Templaque nunc ſtarent, ac Romula Sacra manerent.
At, quamquàm neque fana, neque aras
Ad Thameſim, patriis victor tamen ardua terris
Loyolææ limina genti
Regifico ſtatuis cenſu. Perſolvere dignas
Quis tanto pro munere grates
Jam queat? Ipſa, reor, terras, quæ ſparſa per omnes,
Tot memores Tibi ſubſtruet aras
Gens Ignatiadûm, quot habet ſeù litus arenas,
Seù refluas vada Cærula lymphas.

D. PETRUS FERNANDEZ DE CASTRO.
Neapolitanus Prorex Neapolitani Licei Fundator.
Eidem Excellentiſſimo Principi gratias agit Parthenope.

E L E G I A.

DElicias alius ſparſo mihi congerat auro,
Inque meum fundat gemmea dona ſinum.

Tu

Tu mihi Palladias infers feliciùs Artes,
Cingis apollineâ Tu mihi fronde comas.
Aufugere meo morborum examina regno,
Magna mihi magni Pæonis Arca patet.
Auſpice Te, ſecreta ſuos Natura receſſus,
Quaſque ſinu claudit divite, pandit opes.
Auſpice Te, quantùm mortali accedere fas eſt,
Trans nubes, trans & ſidera mente feror.
Auſpice Te, noſtros repetens Aſtræa penates
Tuta, meæ libram porrigit ipſa manu.
Ferrea quin etiam Nemeſis mihi vincla miniſtrat,
Queis ſceleri dextrâ vindice colla premam.
Ipſe refers profugas olim in mea regna Camœnas,
Arguti numeros carminis Ipſe refers.
Seù juvet Heroum latio geſta inclyta cantu,
Seù juvet Æoliâ bella referre lyrâ.
Seù tragico placeat ſurás vincire cothurno,
Plectra ſophocleis & ſociare modis.
Altera Syreni facies, vox altera: Syren
Nunc tibi, Siſyphide, non fugienda forem.
Non ego nunc nautas pellaci carmine ludo,
Nec tumidis mergō ſanguinolenta vadis.
Horridiora Noto fuerant mea murmura quondàm,
Inque meo portù naufraga puppis erat.
Tyrrheni pinus pelagi defuncta periclis,
Syrenis placido litore tuta ſedet.
Ipſe etiam Oceani noſtros adit Accola fines,
Quique bibunt Rheni flumina, quique Tagi.
Quid referam, ut Pindi ſylvas pertœſus Apollo,
Mœnia, poſthabitâ Phocide, noſtra colat?

Et

Et jam Pausilypi, Pymplæ pro vertice, colles
Servat, & aprico litora cincta mari:
Quin, & arundineo Sebethi fusus in antro,
Dediscit sonitus, Castali Lympha, tuos.
Sed quid ego aut Pindum memorem, aut Parnassia Tempe?
Quid memorem Clarii plectra, lyramque Dei?
Tu me Calliopen, Tu me facis ipse Napæam,
Tu mihi, Castriade, Cynthius alter eris.
Seù lustrem umbrosos saltus, seù forte Liceis
Fert animus comitem, Te duce, ferre gradum:
Non piget heroos cantu vulgare triumphos,
Non piget insuetos instituisse choros.
Utque mihi antè alios Proceres Tu carminis author;
Antè alios meritò Tu mihi carmen eris.

D. FERDINANDUS RUIZ DE CASTRO
Neapolitanus Prorex Regii Palatii Fundator.

Ejusdem Excellentissimi Principis Magnificentia commendatur.

O D E.

Quicumque magnæ suspicit arduam
Syrenis Aulam, Tectaque regio
Educta cultu, quæ columnis
Fulta micant, parioque luxu,
Fernande, plausus hic Tibi debitos
Impendat ultrò: Regibus impares

Qui

Qui primus extendis Penates
Auſpicio generoſiore,
Molemque vaſtis Urbibus æmulam
Attollis aſtris; quæ Capitolium,
Rupemque Tarpejam, & triumphos
Alta refert, latiamque pompam.
Quin ipſa victi temporis arbitra
Adhuc triumphat, neſcit & invidis
Ceſſiſſe fatis, aut protervo
Calce teri fugientis ævi.
Alumna Regum Gloria nobiles
Hìc tunc Penates conſtituit ſibi, &
Ibera Majeſtas, & altum,
Qui ſolium decorant Honores.
Delapſa cœlo, dùm reduci gradu
Reviſit Urbes, hìc ſibi limina
Aſtræa delegit, volentis
Hìc populi regit alma mores.
Hìc jura condit Mercurialium
Cuſtos virorum: mentibus hìc præeſt,
Et ſerta diſponit ſecundis
Auſpiciis, meritoque plauſu.
Majora ſed dùm pollicitus, lares
Fulgente luxu ſubſtruis, æmulo
Repentè fatorum ſub ictu
Immoriens operi, ſepulchrum
Subire tandèm cogeris, alteri
Ornanda linquens tecta, ſuperſtite,
Quæ fama conatu per omnes
Spargit adhuc operoſa Terras.

Quocumque tandèm Te tumulo fovet
Amica Syren, seù Tibi murice
Componit Urnam, sivè gemmis,
Quas memores aluere fletus:
Hæc Te loquaci Tecta silentio
Gratata seris usquè nepotibus,
Tuosque demittent labores,
Ceù meritæ monumenta laudis!

D. FRANCISCUS FERNANDEZ DE CASTRO

Post Legationem pro Hispaniarum Rege ad Pontificem obitam, Siciliæ Prorex.

De ejusdem Excellentissimi Principis adventu sibi Sicilia gratulatur.

E L E G I A.

HYbla, juvat, summo roseum caput insere Cœlo
Celsa coronato nubila vince jugo.
Jam Tibi Septeni cedunt sua gaudia Colles,
Tarpejus palmæ præmia cedit apex.
Nunc decet innocuis Cœlum subtexere flammis,
Nunc decet insueto fundere Vere rosas.
Floreat omnis ager, redeunt secla aurea, passim
Roscida vel duro è cortice mella fluant:
Dùm Te Castriades Heros adit Urbe relictâ,
Torqueat ut justâ regia sceptra manu.
Sed quamvis flammas, floresque, & roscida mella
Sparseris, obsequio est altior Ille tuo.

Nàm

Nàm quibus ah fervent penitùs præcordia flammis?
Quæve micat roſeis purpura viva genis!
Jam neque apes tibi mella tuæ tàm dulcia condunt,
Quàm quæ nectareis proſilüēre labris.
Ah quoties latio faceret dùm verba Senatu,
Et blando argutos funderet ore ſonos:
Pugnavere oculis aures, nàm Caſtrius idem
Fronte, ſed eloquio divite, Neſtor erat.
Audiit, & tumido Tybris miratus ab alveo
Subſtitit, effuſam detinuitque fugam.
Purpuraque erubit, vinci quòd poſſet, & illam
Infecit fuco ſplendidiore pudor.
At nunc Ille meam felix dùm ſoſpitat aulam
Exercens Siculis regia jura plagis:
Viſa mihi ad Siculos Urbs Romula tendere colles;
Excipere & latium Trinacris ora Tybrim.
Nec mihi Caſtriaden jactet nunc æmula Syren
Caſtora, nàm Pollux eſt mihi, ſitque precor.
Non minor eſt noſtris, quæ ſurgit adorea regnis,
Non decorant noſtras ſerta minora comas.
Cincta mari ſpumante licet, tamen efferar ultrà
Ægeos fluctus, Memnonioſque ſinus.
Quà rutilum Pyröënta mari ſol ducit Eöö,
Condit & occiduo quà Pyröënta mari:
Dicar, io, fatis victrix melioribus uti,
Texere & innubes ad mea vota dies.
Quin etiam æquoreis, ut quondàm Alpheus, in undis
Poſthabità ad Siculos Elide tendit agros:
Oblitus patrias, jam non ſua præmia, palmas

Haud aliter, tanto lætam ſub Principe, quæret
Diſſita Trinacriam per freta Tybris amans.
Non illi hìc deerunt lauri, quas alluat undis
Quæque hoc ſuſpiciat ſparſa trophæa ſolo:
Namque ubi Caſtriades Heros hæc litora primùm
Vidit, & auſpicio Regna beanda ſuo:
Protinùs alma Fides, niveiſque invecta quadrigis
Proſperitas, Reducem corripuere gradum,
At ſcelerum Facies Orcum petiere, relictis
Urbibus, & ſontes, turba cruenta, Doli.
Hic me dùm reget imperio, me major, Iberæ
Æmulaque incedam Sicelis ora plagæ.
Dùmque Illum aſpiciam ſolio dare jura, putabo
Cernere me vultus, magne Philippe, Tuos.

D. FRANCISCUS FERNANDEZ DE CASTRO
Sardiniæ, & Aragoniæ Prorex.
Felicitas eorumdem Regnorum ſub hoc Excellentiſſimo Principe deſcribitur.

ODE.

ET muſco, & viridi juvat
Lauro Caſtriaden cingere: lauream
Cui pleno Sicoris vado, at
Muſcum cæruleo nutriit ubere
Uxor candida Nerei
Doris. Namque potens & pelagi, & ſoli,
Regis munera dùm gerit,

Sar-

Sardoæ Dominus jura dedit plagæ:
Claro dein Honor eſſedo
Effultum Heſperiis reddidit urbibus:
Quas inter ſua Bilbilis
Depromens reſonis gaudia plauſibus;
Fontis murmure patrii,
Herois geminat nomina Caſtrii;
Quæ geſtit quoque Durias
Certatìm umbriferis reddere vallibus,
Frænis perdomuit ferox,
Clarus poſt genitis, Ille licentiam,
Et plantas malè lubricas
Ultor compedibus vinxit ahæneis.
Tutas, Caſtriade Duce,
Urbes cana Fides, almaque Fauſtitas
Luſtravit pede libero,
Et Pax auricomis vecta jugalibus.
Flavis undique meſſibus
Campi, purpureis undique vitibus
Vernarunt juga montium:
Et dives, ſolito pulchrior, aureum,
Pompâ Chloris amabili,
Hortorum è latebris exeruit caput.
Non Hyblam, aut thyma proximæ
Unquam Trinacriæ, Copia cui ſinum
Effudit populos beans

Et Ver jam revocat, quod sibi roscidum
Tibur mallet, & Esulæ,
Quæ perflant placidi rura Favonii.
Heros macte animi, tubâ
Te seris duplici Fama nepotibus
Laudandum, ac Superis parem
Clarabit memori carmine Principem.
Te terræ, & maris arbitrum
Exemplis referet Posteritas suis.

D. PETRUS FERNANDEZ DE CASTRO
Peruanus Prorex.

Ad Calliopen, ut huic Excellentissimo Principi aureum excitet Simulacrum.

CARMEN.

Nunc age, & occiduas velis majoribus oras,
Calliope, lustremus: erit suus hic quoque Phœbo
Pindus, & Aonii, lauro juga consita, colles:
Qui si Castaliæ nec fluctibus Hippocrenes,
Nec dulci resonant Cyrrheæ murmure lymphæ,
Auratos tamen effundunt de rupibus amnes,
Exultantque auro latices, sonat intùs aquæ vis
Aurea, spumosis latè aurum exuberat undis.
Sume chelyn, plectrumque manu: juvat ire per altos
Hesperiæ colles Pymplæ, & decerpere laurum
Auricomam, exortique caput redimire coronâ.

Dic

Dic age Caſtriaden, Perüanis aurea Regnis
Secula qui retulit primus, pacemque fugato
Marte procul, placidas juſſit dare jura per urbes.
Seù potiùs (quoniam liquido fons æſtuat auro)
Proiice plectra: ipſumque auro molire ſequaci
Caſtriaden: nunc Phidiacæ dextra æmula dextræ
Altiùs aſſurgat; ſummoque in vertice montis
Conſtitue, ætheriis dorſo eſt qui proximus aſtris;
Quo geminum hinc, atque hinc pelagus proſpectet: at illum
Noſcere ſi cupias, qualem novere tumentes
Oceani fluctus, ipſo quos ore domabat,
Illius adſimiles Gnati ſub imagine vultus
Cerne, quibus Genitor, vel poſt ſua funera, victor
Fulgurat, & lethi ſpoliis inſultat, & urnæ.
Lumina ſubjectas, geminum ceù ſydus, in oras,
Quas leni quondàm imperio, juſtiſque regebat
Legibus, intendat. Phæbi micet æmula vultus
Majeſtas, qualis regali à ſanguine cretum
Heröëm decet. At duplici frons inclyta pompâ
Vernet, & intextæ laurique, oleæque pererrent
Tempora: ſceptra gerat manus altera, & altera ferrum.
Monſtra premat pedibus, centum quæ vincta catenis
Sæva fremant ſuper arma, & ſpumas ore cruento
Sanguineas Furor eructans ſua vulnera lambat.
At quæ Caſtriadæ magnam mihi Mentem, Animumque
Exprimat Ars? effinge Aquilam, ſublimior alis,

Quos retulit: ferus Æacides hìc, qualis ahænâ
Luce fugans phrygias Xanti propè flumina turmas,
Hic Neſtor dextræque potens, & fulmine linguæ,
Hic Telamoniades, Sthenelúſque, & Memnon, & ingens
Tydides jaculis rutilet metuendus, & haſtâ.
Si tamen Auſoniæ cupias ſuperaddere gentis
Lumina? Scipiaden geminum, geminumque Catonem
Adde libens, nec non turbantem caſtra Camillum
Gallica, & auratos torques, & opima trahentem
Torquatum ſpolia egelidas Anienis ad undas.
Excubet à tergo centúm molita canoras
Fama tubas; Perüë paſſim quas barbara vultu
Audiat attonito: reſponſent ultima longè
Æquora, reſponſent colleſque, & nubila. Regum
Ipſa memor Danaum Perüë victricia diſcat
Nomina, & Auſonidûm, externis gratata ttophæis,
Et nunc Grajugenis plaudat, nunc illa Latinis.
Antè alios tamen ingentes Tibi ſolvat honores,
Te colat, & plauſus, & ovantes carmine laudes
Ingeminet Tibi, Caſtriade, quem grata ſequetur
Fama ingens meritis, qui tàm felicibus auſis
Ingentes ſuperas ingentior Ipſe triumphos.

Excellentiſsimo Domino,
D. GENESIO FERNANDEZ DE CASTRO
Lemenſium Comiti Neapolitanæ Claſſis Architalaſſo.
Parthenope domum excitat quo diuturniùs illo perfruatur.
C A R M E N.

EXtremam hanc, precor alme, mihi da carpere laurum,
Caſtriade, dùm vicino Sebethus ab antro

Plau-

Plaudit, arundineos perfusus rore capillos,
Tyrrhenumque hilari undarum subit agmine Nereum.
Primus ego ad Megaren, Superi modò vota secundent,
Ingentem statuam pario Tibi marmore molem
Propter Aquam, refluum tumidis ubi fluctibus æquor
Frangitur, ac tardis albescunt litora spumis.
Nunc agite, & nostrum faciles properate laborem
Vosque ò, quæ Megaren, vosque ò, quæ proxima Nymphæ
Marmora Pausilypi, muscosaque Mergillinæ
Antra, vel Euboicos colitis fontesque, lacusque:
Castriadæ nunc grata suo pulcherrima Syren
Hæc statui monumenta jubet. Jam saxea ponto
Pila cadit, vada Neptunus contracta sub undis
Sentit ovans; surgunt pelago, celsæque minantur
In Cœlum Turres, æquataque nubibus altis
Culmina. Memnonio spirant è marmore Vultus,
Castriadæ Proceres, Regum genus, inclyta virtus
Quos dudùm Indigetes patrio transcripsit Olympo.
Vestibulum antè ipsum medio sub fornice fulget
Sceptra tenens, tyrioque humeros indutus amictu,
Augustam Hesperiis primus qui Regibus Aulam
Parthenope in magnâ posuit Fernandus. At ingens
Dein Fernandiades lauroque, oleàque comanti
Cæsariem umbratus nitidam procul excubat altis
Porticibus, doctæque fovet simulacra Minervæ,
Regifico quondàm cui splendida limina luxu

Castriadûm ostentans: quorum neque nomina possim,
Vel mihi Nestoreo spirent si pectora cultu,
Vincere carminibus: flavos de more capillos
Matribus exornant nitidis stellata pyropis
Serta: fluunt in humum pallæque, sinusque crepantes
OEbalii, pendent demissa monilia collo.
Tùm manus Heroum, seù quos sibi bellica virtus,
Seù Vaticano adlegit quos Roma Senatu
Omnes Hesperiâ rutilant ferrugine: crines
Cassis obit Ducibus viridi circumdata lauro,
Sed crispant hastile manus: corallia frontem
Pafsìm aliis cingunt latios imitata Galeros.
Ergo age, & augustis, quos nunc Tibi dædala Syren
Condidit ad Megaren, succede penatibus ultrò,
O magnis genite, ac magnos geniture (secundant
Nàm Superi mea vota) Atavum fas noscere vultus,
Ac tandèm Euboicâ longùm consistere in Aulâ.
Hìc Tibi fata lares optant, hìc regia spondent
Munera (Sardoi neque enim Te litora ponti,
Aut Siculi sperent Trinacria Regna Pelori,
Aut Perüë, aut Sicoris: dederint his jura Priores
Castriadæ) Tu noster eris. Viden? invia Nerei
Arua Tibi ad patrios remees ne rursùs Iberos:
Ipsa struit dulcem hanc blando molimine fraudem
Parthenope, ipsa dolum: utque olìm Berecynthia Mater
Navibus Iliacis propè Tybridis ostia, formam
Mortalem eripiens, laterum compage solutâ,
Quot priùs Ideæ steterant ad flumina Puppes
Vertit in æquoreas (visu mirabile!) nymphas:

Non

Non ſecùs ipſa tuas, fraudum haud ignara, carinas
Auxilio Protei Syren jubet ire ſolutas,
Ire Deas pelagi, quales, Neptunia proles,
Clauceque, Drimoque, Galenaque, Cymodoceque
Tuta ſecant niveis ſpumantia regna lacertis,
Et Neſis, Prochyteque ſoror, Craterides ambæ,
Ambæ purpureis evinctæ crura cothurnis.
Aſpice, Olympiaco ſteterant quæ litore Pinus,
Sunt pelagi Nymphæ Lemëides; ire per undas
Heſperiam in magnam vetitum Tibi. Nunc age, ſegnes
Rumpe moras, felixque ſubi nova Tecta. Quotannis
Hìc Tibi grata hilares Syren de more choreas
Inſtituet; vitreo venient de gurgite Nymphæ,
Quæ curſus agiles ineant, agileſque recurſus,
Atque hilarem ducant Tyrrhena per æquora pompam.

OPERIS ABSOLVTIO.

ERuditè quidem, ac dilucidè, ut veſtri moris eſt, Academici. Verum expendenti mihi rationum momenta, quibus uterque veſtrum ſuam Problematis partem tueri conatus eſt, venit in mentem illud Virgilii:

Non noſtrum inter vos tantas componere lites.

Profectò ſic exiſtimo, & Pöëtam Heroi, & Heröëm Pöëtæ debere quammaximè? Uter Utri magis? in medio relinquã. Nam claritudinem nominis minimè interituram, quæ qui-

ctitant Vates, quem lateat ab ipsismet Heroibus Pöëtas accipere? quarè cum mihi persuasum sit, neque Heröë Vatem, neque Vate Heröëm carere posse citrà hujus gloriæ dispendium, atque jacturam, pari certantes officio, pari laureâ dignos censeo: ac præcipuos honores habendos & iis, qui digna faciunt quæ scribantur, & iis qui scribunt digna, quæ perlegantur. Eos verò, qui utrumque præstant, quos certè paucos esse novimus, non cum summis viris componam, nàm suprà homines attolluntur, sed Deo ipsi penè dicam esse simillimos. Atque hæc Tua est in primis laus, Genesi Comes Excellentissime, in quo miram quamdam, tùm Heroicarum virtutum, tùm pöëtici cantus suspicimus harmoniam. Vos denique omnes oro, Proceres præstantissimi, si audistis hæc libenter, immò, ut ex vestrum omnium vultu conijcio, quia libenter audistis, ut Pöëtis plaudatis, ac veterem Pöëticæ Amorem, quod Heroum maximè est, in vobismet ipsis excitetis. Nusquàm enim deerunt Vates, si Mecænates non desint. Efficite tandèm ut ætati huic nostræ ob Pöësim vestrâ benevolentiâ, vestroque Patrocinio restitutam, omnis hinc secutura Posteritas gratuletur.

LAUS DEO.